Sigismundus I Poer 1290.

Poloniae Rex.

Dantisci Joh. Linodesmonii: Epithalamium in nuptiis inclyti Sigismundi Regis Poloniae —

4107

Epithalamiū in Nu-
ptijs inclyti Sigismūdi regis Po
loniae inuictissimi: ac Illustris-
simae principis Barbarae
filiae praeclari quōndā
Stephani comitis p-
petui Czepusieñ. ⁊
regni Ungariae
Palatini.

Per Johannem Linodesmona
Dantiscum aeditum.

Sum regina auium: peto sidera: tuta trisulco
Fulmine: ⁊ arctoi fida ministra Jouis.



¶ Ad Inclytum Sigismundum Regem Poloniae: Magnū ducem Lituaniae: Russiae: Prussiaeq́ dominum & heredem Johannis Linodesmonos Dantisci eiusdē sacrae maiestatis scribae Epithalamij Cōmēdatio.

Nullus Alexandri effigiem nisi Cous Apelles:
Audebat priscis pingere temporibus:
Nil leue: nil crudum Maiestas regia poscit:
Nil q̄ꝫ ꝙ iusto pondere pondus habet.
Hinc vereor regū specimen Sigismūde decusq́:
Incultum tibi quid ne mea musa ferat.
Esset opus fateor Flacco: magnoq́ Marone
Calliopes nato: Moeonioq́ sene.
Hoc iam coniugij presertim tempore sacri:
Ut faustos canerent tempus in omne thoros:
Non tamen audaces potui retinere camaenas:
In laudem dicunt quae bona verba tuam.
Suscipias claemens: rex inclyte: suscipit inq́
Immensus paruas Ennosigaeus aquas.
Dent alij gēmas: aurum: dent serica multa
Tu gēmas: aurum: serica multa tenes.
Ast ego do carmen: sacri dant carmina vates:
Quae famam claris sepe dedere viris
Sume tui Scribae subito conflata calore
Munera: quo superi pectore thura solent.

¶ Epithalamium.

ARctoas strepuit foelix Hymenaeus ad oras   Hymenaeus
Aera sonāt: Litui stridēt: ⁊ tympana crebro
Pulsant: laetus clangor ferit astra tubarum.
Tibia dat modulos: flatus syringa sonoros: Pompa nuptialis
Tāgunt citharae: resonātia plectra mouēt.
Heroum: ꝓcerū: chlamydatorūqꝫ cohortes
Adueniunt: equitum turmae: peditumqꝫ caterue   Apostrophe ad Sigismundū Polonie regē.
Te Sigismunde petunt Rex inclyte: pande serena
Fronte fores: siquidem foelici numine diuū
Uenit Pannonicis tibi formosissima ab oris   Nupta
Nupta: tuas iam pande fores: hanc excipe laetis
Luminibus: foelix iam connubialia iunge
Uincula. Reginaqꝫ sacro diademate regni
Consortem facias: haec est te digna marito
Regis digna vxor: reges paritura qꝫ digna
Sola inter cunctas sunt quotquot in orbe puellas
Hanc superi tibi coniugio propriamqꝫ dicarunt.
Interea dum pompa venit: dum nupta sacratur
Ponitur auricomis dum fulua corona capillis
Dic Erato nobis fuerat quae causa beati
Coniugij: primos iocunda exponeqꝫ amores.   Inuocatio
Parrhasias vidit terras Saturnia Juno
Aetherei regina Jouis: quae regna gubernat   Narratio
Cuncta orbis: iusto tandem rectore teneri.
Ne post longaeuae venturo tempore vitae
Consimili regnum dein successore careret
Compellat blando pulchram sermone Dionem.   Juno ad Venerem
Jam satis est certasse odijs Erycina superqꝫ
Troia iacet: celsaeqꝫ iacent carthaginis arces   Troia
Qualibet vlta suos: ponamus praelia tandem   Carthago
Pax ineunda quidem satius: te foedere iungi
Perpetuo nobis gaudebit regia coeli:
Gaudebunt herebi: manes: tellusqꝫ: fretuqꝫ.
Sum mundi: summiqꝫ potens regina tonantis
Tu volucrum domina: ⁊ genitrix es dulcis amorum.
Nil sine me possunt mortales: te sine nilqꝫ
In nostro totus nutu deuoluitur orbis.
Conueniamus: erit totū pax laeta per orbem
Aurea sub nostro fuerant que patre redibunt   Aureum seculum
Saecula: sic rediens liquida descendet ab aethra
Justicia: ⁊ iusto viduatas iudice leges   Justicia.
Firmabit: cedes: acies: ⁊ bella repellet

Cessabunt multi sic incrementa tributi:
Non plus priuatis crescent aeraria damnis
Publica: non hominũ deuincet pectora merces:
Non erit empta fides: stabit certo ordine mundus.
Non simulata loquor Tirrhenum nulla per aequor
Gens inimica mihi tranat: iam pectore toto
Iudicium cessit Paridis: praeferre per omnes
Te patiar: redeat concordia que fuit ante
Ex dederat Bellona furens mala munera malum.
Appias haec contra: dudum o regina ꝙ optas

Venus ad Iunonem

Quaesiui: voluiq; diu tibi iungere dextram
Labantiq; hominũ tecum succurrere vitae.
Omnia versa quidem magnis elisa ruinis
Interea discors nostras sententia mentes
Dum tenuit: legum perijt veneranda potestas:
Succubuit vitio virtus et viribus aequũ
Milia multa virum: tot regna: tot oppida: ꝛ vrbes
Interiere fuit donec mens aspera nobis.
Sumo libens quaecũq; iubes parere nouercae
Dulce erit: ꝛ tantas tecum componere lites
Non mollis durae siquidem sunt pectoris irae
Quid sit opus doceas sum iussa capessere presto.
Oscula libauit Veneri dextraq; retenta

Iuno ad Venerem

Chara Iouis coniunx placido sic pectore fatur
Inclytus Arctois fuerat Casimirus in oris

Casimirus rex Polo.

Rex armis ꝛ pace potens: quem fouimus isto
In gremio: rex diues opum: rex milite multo
Insignis: toties raptis qui ex hoste Trophaeis
In regnum redijt victricia signa reportans:
Hic fuerat claris: a gadibus vsq; sub eurum.
Cognitus ex titulis: ꝛ per sua grandia gesta.
Qui dum grandaeuus fatales vixerat annos

Quatuor reges filij Casimiri regis

Quatuor eximios regali sanguine reges
Progenitos dederat: duo sceptra Polona gerebant
Tertius Hunorum gestat diadema coruscum
Atq; Boemorum iam longa aetate Thyaram
Hic habet heredem regnis dum fata vocabunt.
Iunior ast alijs qui nunc vestigia patris

Sigismundus iunior Polonie Rex

Insequitur: regnũq; tenet sceptrũq; paternum
Restat: habet nullum regni cui tradat habenas
Lanificae frangent dum stamina longa sorores.
Omnes illius diuo quae crimina pellunt

Pallas

Corde deae resident: Pallas dedit Aegida clarũq;
Ingenium: specimen dederas: Charitesq; decorem:
Ipsa dedi regnum: dedi opes: titulos ꝛ honores

Justicia vtilibus suasit preponere rectum — Justicia
Et tectis mersum latebris educere verum.
Talem Cecropide quondam sensere Solonem — Solon
Et Lacedemonij talem sensere Licurgum. — Licurgus.
Justior in dubijs qui litibus addere finem
Posset adest nemo: si quando iura duobus
Deficiunt: aequū concedit vtrisq; duellum. — Duellum
Quid multis: ille est in quo sincera bonorum
Congeries in quo virtus sibi nuda parauit — Uirtus
Rite domicilium: similem quae pertulit aetas
Consilio regem? vel iusto marte? Lacessit
Nullum: sed proprio viuit contentus in orbe.
Ipse lacessitus si quando suscipit arma
Uelox egreditur nullos fugiendo labores
Aurea fulcra thori: dulcem spernendo quietem
Hostes intrepidus sequitur per tela: per enses:
Et spolijs semper remeat sic victor opimis.
Quid potuit: patria depulsus sede Michael — Michael Hlynsky
Per fraudem voluit qui dux Lituanus haberi
Sentit adhuc: errat Scythicis deuinctus in oris
Seq; suosq; miser: suaq; omnia perdidit Exul.
Quid potuit: noscunt pharetrati martia Moschi — Moschi.
Castra: Borystenidas paruo dum milite turmas — Borysthenide
Prostrauit: pacemq; suis non munere misso
Sed fecit iustus victor victricibus armis.
Quid potuit: Ualachus qui Mysia possidet arma
Edidicit nuper: coepit tristes Hymenaeos — Ualachus
Pro tedis flammas: pro tela cruenta choreis
Perfidiae vltorem tot milia caesa tulere.
Talis erat Caesar: Marius: rigidusq; Camillus
Hannibal ad Cannas: ad Troiam fortis Achilles. — Julius Caesar. Mari⁹
Ista superstes adhuc restat Casimiria proles — Camillus. Hannibal
Regibus exorta & reges genitura sequaces. — Achilles
Clara igitur domus haec regum ne principe in vno
Deficiat: tibi sit curae pia mater amorum.
Si tanto tibi digna viro sit in orbe puella
Exquiras: radiat vultus grauitate verendus — Laus Sigismūdi Re.
Regaliq; sacro maiestas eminet ore:
Ingentes vernant procero in corpore vires:
Innumeraeq; animi dotes quas inclyta virtus
Prestitit: eloquium solidum & tam dulce loquendi
Pondus: & ingenij tam clara inuenta profundi: — Eloquium.
Jungatur pulcro formosa puella marito — Ingenium
Jungatur solers regi regina diserto.
O quae progenies terris: quae clara propago

Hinc crescet: tum plura loqui venus alma volentem
Interpellat ⁊ his dictis affatur amicis.
Venus ad Junonem Mens eadem fuerat tecum mihi regia Juno
Et tecum super his dudum conferre volebam
Sed tibi adhuc fuerant commoti pectoris irae.
At veteris tandem quoniam nunc omnis adempta est
Lis inimiciciae: tibi cuncta archana patebunt.
Nuper Pannonicis reuolabat noster ab oris
Natus per regnū: sic fata dedere: Polonum
Inq; sinū fessus pharetra praecinctus ⁊ arcu
Procidit: atq; hilaris suspensus in oscula dixit.
Amor ad Venerem. Nil mihi cum priscis quas vidi saepe puellis
Laus barbarae reginae Est ex Hunorum preclaro stēmate virgo
Uidimus o genitrix: mortalis foemina nulla
Pulcrior: aethereis non aspernanda deabus
Sparte Non Spartae: non hec similem genuere Mycenae
Mycene Tam pulcram nunq; te Cous pinxit Apelles
Apelles Phidiacis sculpta est manibus non pulcrior ulla:
Phidias Fulgidior niuibus Riphaeis corpore toto
Purpureo in facie est suffusus sanguine candor
Rubris mixta rosis argentea lilia vincens
Hec Porphiriaci tu quicquid ubiq; ruboris
Et candoris habes: habet. at mea spicula nondum
Sensit: nec nostras intra praecordia flammas.
Excubijs castis morum probitate fideq;
Imbuta est matura viro: stat nubilis aetas
Bootes. Crudaq; virginitas digno rapienda marito.
Hinc dum per terras tardus temone Bootes
Quas gelido spectat volitarem flamine dextro
Laus Sigismūdi Re. Uidimus aethereos in diuo principe vultus
Qui gerit Arctoi nunc sceptra potentia regni.
Intrepidam faciem mirabar: membra torosa:
Magnanimiq; viri robusto in corpore pectus
Et tandem lati peragraui climata mundi
His possem similes si forte videre duobus
Non sunt in toto similes his orbe duobus.
Junge thoros: unoq; animas in corpore binas
Coniugio dulci longaeuo tempore claude.
Dixerat: ⁊ nostra petulans ceruice pependit.
Extemplo placuit volucris sententia nati
Paphus Linquo Paphum: Cyprijs per inania vecta columbis
Hyperborei montes Uersus hiperboreas: aquilonia culmina: montes.
Agmen amorum Undiq; me tenerum circūdedit agmen amorum
Choritos alij ex humeris: tensasq; sagittas
Atq; auro infectas plenas gessere pharetras

Innumeras gessit faculas pars igneus ordo.
Exultant pueri: crebrum glomerantur in orbem
Quisq; suas vires protensaq; brachia iactat
Cuncta ferire ardent. Mare: tartara: sydera: tellus
Scis ait alma parens cunctis lasciuior vnus   Amor ad Venerem.
Meq; facesq; meas: haec ⁊ victricia tela
Senserunt: quoties dimissis Juppiter astris   Juppiter in varias figuras
Imber: olor: satyrus: bos: serpens: flamma: Diana
Ingemuit nostro stupidus perculsus ab arcu.
Exarsit gelidis sic Ennosigaeus in vndis   Neptūnus
Nereus ⁊ Triton nostras sensere sagittas   Nereus Triton
Senserunt curuo nos saepe in littore Phocae   Phocae.
Rapta est Persephone quondam predone marito   Pluto.
Me duce: de stigijs haec coepit dextra tropheum: Proserpina
Nec tibi sis quamuis genitrix dilecta peperci   Hercules
Alcidem domui: domitus Poliphemus in antris   Poliphemus
Est siculis: quid adhuc dubitas mandata recuso
Nulla: modo iubeas: manus est mihi certa potensq;.
Post vbi turritis diues Cracouia muris   Cracouia
Tollit in astra caput cupido deuenimus omnes
Visendi regem studio: qui iura paterno
Tunc solio residens populis dabat: illico viso
Obstupui. Latos humeros: oculosq;: genasq;:   Laus. S. R.
Et tanti quis non miretur principis ora:
Sic fueram Getici quondam inflāmata mariti   Mars
Vultu: me tali facie membrisq; decoris   Anchises
Coepit Dardanius dum starent Pergama coniunx
Nate tua hic opus est opera: deprome pharetra.   Venus ad amorem
Auratum dixi iaculum: sic ne iste per aeuum
Ibit legitima ⁊ claris sine coniuge natis?
Obsequitur: dextra telum librabat ab aure
Huniacam in regis defixit corda puellam
Expetit hanc solam: solam hanc in mente volutat
Aedes construxit: Palatia celsa: cubile   Aedificia
Reginae regale suae. ne virgo beati
Expers coniugij foret ocius illius arcem
Cum natis subeo: quam solam rite sedentem   Venus ad Barbaram reginam.
Dum vidi: ⁊ casto versantem pectore cultum
Vestalem: verbis stupefeci talibus. O quam
Te memorem virgo tenerae decet esse iuuentae
Et formae generisq; tui: non Claudia semper   Claudia
Talis erat populo tractans spectante carinam.
Rapta ab Amiclaeis non candida Tyndaris aruis   Helena
Nec vultus semper Lauinia gessit eosdem   Lauinia
Omnia tempus edax ⁊ carpit cuncta vetustas   Utendum est aetate

Urere dum lachesis foelicia stamina ducit
Annis: ⁊ tacitis nunq̄ redeuntibus horis.
Sola ne sic viduo marcesces frigida lecto?
Sola ne sic pulchre traduces tempora formae?
Virginitas — Quid tibi virginitas sterilis vitaeqꝫ pudicae
Norma tuae: non hoc oculi qui sidera vincunt
Lumine: ⁊ auricomi per lactea colla capilli
Hoc color in facie non postulat: ipsa decorem
Non frustra apposui quo cunctis pulcrior esses.
Thetis — Si Thetis hoc quondam quod tu tam dura probasset
Achilles — Nunq̄ magnanimus terris datus esset Achilles.
Alcmena — Mens eadem Alcmene si quondam forte fuisset
Hercules — Thebani nusq̄ nunc essent herculis acta
Aeneas — Non pius aeneas: pueri mea turba volucres
Amores. — Non essent: thalamū si quondam forte fugissem
Coniugiū dulce — Dura viri; nihil est in toto dulcius orbe
Coniugio parili quod iungitur igne duorum
Hoc tibi sit cordi iam tempus poscit ⁊ aetas:
Mollescas dulcis perdisceqꝫ munus amoris
Jungeris regi reges paritura potentes
Laus. S. R. — Hunc plus q̄ chare genitricis semper amabis
Oscula casta tuae: q̄ fratres: q̄q̄ propinquos
Est siquidem princeps hic a te dignus amari.
Euadne — Hunc si vidisset quondam Capaneia coniunx
Hoc viso non se flammis moritura dedisset
Lucretia — Hoc viso non se Lucrecia casta necasset
Phyllis — Hoc viso laqueo non isset phyllis ad orchum
Helena. — Hunc propter Phrigium raptorem pulcra Lacena
Medea. Jason — Colchica magnanimū cum vellere Jasona virgo
Ariadna Theseus — Gnosia Cecropium spreuisset fida maritum
Penelope. Ulisses — Spreuissetqꝫ suum casta Icariotis Ulissem.
Adonis — Huic quondam similem si saecula prisca tulissent
Vulcanus — Discerptus ab Apro mihi non placuisset Adonis
Mars. — Non qui tela Joui Siculis faber asperat antris
Is neqꝫ mecum olim quem lemnia vincla ligarunt.
Junge thoros: qui soluat hymen metāqꝫ pudoris
Dignus adest tibi vir: tu coniuge digna marita.
Diximus: ⁊ tacitos sic insp irauimus ignes
Virgineis sensim flagranti ardore medullis
Casta verecundus subito pudor ora notauit
Ingemuit ducens imo suspiria corde.
Et cupis effeci thalamo non dignior ulla est
Regali: nunc hymen adest: tu pronuba Juno
Adsis: ⁊ mecum parili connubia flamma
Junge: sacroqꝫ nouae nuptae diademate pulcrum

Cinge caput: decimo pariturae mense benignam
Confer opem: faciles vtero concede labores.
Romulidum quondam: non Ilia mater in orbe
Huic erit equanda: aut Penos duo fulmina belli
Quae tulit: aut regis Macedum regina Philippi.
Annuit alma Iouis coniunx dignasqꝫ ferebat:
Pertesa irarum: tanto pro munere grates.

Concordia dearum

Sic abiere deae concordi foedere nexae
Quaeqꝫ suas alacris petijt per lactea sedes
Aethera vecta: Samū redijt Saturnia proles
Dilectāqꝫ Cypron volucrum pia mater amorum.

Samus.
Cypros

Haec est ergo dies niueo quam vellere parce
Lanificae tibi nent claris signanda lapillis
Inclyte rex: omni duce te memorabilis aeuo.

Apostrophe ad Sigismundum regē.

Optatae cernis nunc candida coniugis ora
Iam Porphiriacas malas: iam rubra labella:
Sidereos oculos: ⁊ eburnea colla stupescis
Cur heres? dederat iam vincula Iuno verēda:
Aude: animos cytherea dabit: si forte repugnat.
Haec clarum faciet clara te prole parentē:
Haec Casimiriacae fietqꝫ propaginis auctrix.
Nunc igitur quibus est regni pia cura Poloni

Adhortatio

Pontifices: primos qui relligionis honores
Fertis: Magnifici heroes: proceresqꝫ potētes
Formosi iuuenes: formosae deinde puellae
Matres cum senibus: pueri nutrixqꝫ vicissim
Reginae crebro dextros regiqꝫ precentur
Successus: validam longaqꝫ aetate senectam.
At iam tempus adest: genio indulgete secundo
Omnes arctophilax tardo quos despicit axe.

Genio indulgendum

Laeticiae: dulcesqꝫ ioci: facilesqꝫ choreae
Undiqꝫ nunc resonent per rura: per oppida ⁊ vrbes.
Sint procul ex omni tristes nunc pectore curae
Sit procul omne malum: merorqꝫ dolorqꝫ dehiscat.
Haec hilares hominū poscunt noua gaudia mentes
Arctoas strepuit foelix hymeneus ad oras

Hymenaeus

Telos.

¶ Ad inclytū Sigismūdū Polo. Regē inuictissimū Deprecatio.

Non matutino crudas: rex inclyte: vultu
Primicias scribae suscipe queso tui.
Maturas capies: teneris sint ocia musis
Ocia tranquillo pectore phoebus amat.
Marte satos alij fratres: regesq; superbos
Cantent: gesta ducū: multaq; bella virū.
Tercentum Fabios: Catulos: fortesq; Camillos
Aphrica siue quibus nomen in orbe dedit.
Aut Marios: Decios: Curios: geminosue Catones
Marcellum: Syllam: fabriciūq; grauem.
Pompeiosq; duos: vel Caesaris ardua gesta:
Quosue dedit claros Punica terra duces.
Aut fortem iuuenem: deceptam cernere cuius
Porsena non potuit mitis in igne manum.
Seu celebrent illum cui post sua terga reuulsus
Pons erat: Ethruscis cognitus ense viris
Te solum rex magne canam Sigismunde tuosq;
Dent modo textrices stamina longa: Deae.
Dum verno veniet maturior annus agello
Fecundi capies: grandia dona: soli.
Iam mentem metire tui: non munera: serui
Cor hominis flectit: non data thura: deos.

In Liuidum.

Innumeris toties me rugis liuide spectas:
Et me per vitrum terq; quaterq; legis.
Nil metuo stolidos de rhinocerōte susurros
Te ledis dum me ledere posse putas.

6

¶ Cracouiae Ex officina libraria Prouidi viri domini Johannis Haller. Anno a Uirgineo partu Millesimo q̄ngētesimo duodecimo. Pridie idus Februarias.

Lector Critice sicubi rideat offendes lege redeat.

